pag. 6, 5. (K. 905.) ἐξ ἀδοκήτου.] Haec vocabula Helmreichio offensioni erant propter hiatum. Sed parum recte. Nam primum haec vocabula omitti nequeunt, quia opposita sunt participio βιασάμενον. Tum mihi quidem persuasum non est Galenum post diphthongum ου hiatum tam diligenter evitasse. Cf. pag. 7, 6. ἢ ἐκ νόσου (L²) ἀνακομιζόμενοι et paullo infra lin. 8. συμμέτρου ἀποστάντα et Iwan. Mueller ad Galeni libellum Ὅτι ὁ ἄριστος ἰατρὸς καὶ φιλόσοφος (Edit. altera), Erlang. 1875, pag. 41.

Denique hanc elocutionem habes apud Dionysium Halic. A. R. III, 64 et VI, 53: ἐκ τοῦ ἀδοκήτου. Thucyd. VI, 47: ἢ μή τι δι' ὀλίγου καὶ ἀπὸ τοῦ ἀδοκήτου ἢ Λεοντίνους οἷοί τε ὦσιν ὠφελῆσαι.

lin. 13. τοῖς ὑσὶν] dedimus pro συσὶν ex L. Par. A. Sic etiam I, pag. 28 ὑῶν διαγωγῇ. Ceterum Galenus aliis locis stultos homines atque mentis expertes comparare amat cum asinis: V, 64; VI, 52; IV, p. 21; I, 51 (περὶ ἀρίστης διδασκαλίας, editionis nostrae in Annalibus Fleckeisenianis tom. 107, p. 396): καθάπερ τοῖς ὄνοις οὐκ ἄν τις ἐπιτρέψειεν, ὅτι μηδ' ὅλως ἔχουσι νοῦν, οὕτως οὐδὲ τοῖς ἀνθρώποις κτέ.

lin. 16. (K. 906.) οὔκουν οὐδὲ.] Praeter duos nostri commentarii locos, ubi negativa enuntiatione οὐκοῦν οὐδὲ scriptum extat, semel tantum apud Galenum (III, 396) hanc scripturam inveni. Multo saepius tamen apud Kuehnium in eiusmodi sententiis scriptum est οὔκουν οὐδ' velut IV, 361; VIII, 575. — οὔκουν θαυμαστὸν οὐδὲν III, 434, 442, 443, 458. Saepissime οὔκουν solum: IV, 360; III, 305, 308, 312. Quare vel codicibus repugnantibus pro οὐκοῦν cum Helmreichio scripsi οὔκουν.

ibidem: τὴν ἕξιν.] De vi et notione huius vocis videas Gal. I, p. 29: ἡ μὲν γὰρ ἕξις ἔμμονός τις καὶ δυσαλλοίωτος διάθεσις. — IV, p. 750 τὸ τῆς ἕξεως ὄνομα κατὰ παντὸς ἐπιφέρειν εἰθίσμεθα τοῦ μονίμου τε καὶ δυσλύτου. XIV, 697. Quintilian. Inst. X, 1, 1: firma quaedam facilitas, quae apud Graecos ἕξις nominatur. — Iw. Mueller l. l. pag. 40.

lin. 18. ἠδύναντο.] Sic Helmr. e codicibus Marcianis pro ἐδύναντο restituit. Nescio an recte. Nam saepissime apud Galenum haec verbi δύνασθαι forma cum augmento temporali occurrit: III, 188 bis ἠδύναντο; IV, 362; V, 91: ἠδυνήθη; III, 296 ἠβουλήθη; XIII, 482 ἠβουλήθησαν; XIV, 235 ἠβούλετο. Quamquam etiam alterae formae cum augmento syllabico compositae saepissime inveniuntur. Semper vero, ut videtur, Galenus scripsit ἔμελλε, nusquam ἤμελλε.

pag. 7, 4. (K. 907.) οὐδενὸς — ἀπολείπεται.] Restitui ἀπολείπεται pro ἐλλείπεται auctoribus Laurentiano ac Parisino. Nam usitatissimum est apud Nostrum verbum ἀπολείπεσθαι. I, pag. 30: Ἔνιοι (τῶν ἀθλητῶν) τῶν Ὁμηρικῶν οὐδὲν ἀπολείπονται Λιτῶν; ibid. pag 56: ἢ τὸ μὲν ἕτερον αὐτοῖς ὑπάρχει, θατέρου δ' ἀπολείπονται; XIII, 405: (οἶνος) ἀπολειπόμενος τοῦ γλυκέος πολύ. — pagg. 421, 466; p. 620: ὡς ἀπολείπεται τοῦ νέου τὸ παλαιόν.

lin. 6. ἐκ νόσου ἀνακομιζόμενοι.] Helmr. mavult νοσῶν haud dubie hiatus evitandi causa. At vide, quae supra ad pag. 6, 5 de hac re diximus. Praeterea conferendus est cum nostro

locus Oribasii I, 531: ἡ δὲ ὑπερμεγέθης σφαῖρα πληγὰς δὲ ἀτεράμνους ἔχουσα οὐ μόνον τοῖς νοσοῦσιν ἢ τοῖς ἐκ νόσου ἀναλαμβάνουσιν ἄχρηστος, ἀλλὰ κτέ.

lin. 8. δεῖ δὲ μέσως μὲν ἔχοντα.] Locus hic haud dubie corruptissimus in editionibus ita legitur: δεῖ δὲ μέσως μένοντα τηνικαῦτα χρῆσθαι μηδενὶ συμμέτρου ἀποστάντα τὰ μὲν ἠρέμα προβαίνοντα, τὰ δὲ καὶ κατὰ χώραν μένοντα, μὴ πολὺ διαγυμνασάμενον. ἐπὶ τῷδε τρίψεσι — καὶ λουτροῖς θερμοῖς χρῆσθαι. Offensionem praebent verba χρῆσθαι et μένοντα bis posita. Accedit quod prius χρῆσθαι objecto suo caret; nam dativus μηδενὶ h. d. corruptus aut in μηδὲν aut in μηδὲ mutandus est.

Praeterea adverbium τηνικαῦτα ante ἐπὶ τῷδε, quod sequitur, minime placet. Itaque si quid video, haec verba τηνικαῦτα χρῆσθαι inde orta sunt, quod librarius, qui post δεῖ infinitum quendam desideravit, margini adscripsit haec: „τηνικαῦτα· χρῆσθαι“ (id est: postea sequitur infinitivus χρῆσθαι!). Quid vero obstat, quominus δεῖ conjungamus cum λουτροῖς θερμοῖς χρῆσθαι, si gravioris interpunctionis signum post διαγυμνασάμενον sustulerimus?

Atqui de scriptura participii μένοντα codices mirum quantum discedunt. Prima Laurentiani manus habet μέσο μὲν, quod altera manus correxit in μέσως μεν ενον sed addito in margine μένον. Quid? si Galenus scripsit μέσως μὲν ἔχοντα, ita ut particula μὲν responderet sequenti ἐπὶ τῷδε? Jam vero sine ulla literarum mutatione participia προβαίνοντα et μένοντα corrigi possunt in infinitivos προβαίνειν et μένειν. Quo facto oratio satis clare procedet.

lin. 11. (K. 908.) ἄρρωστον δύναμιν ἀναλαβεῖν δυνατώτατον.] Helmreichio assentiri non possum, qui hoc loco ex Codicibus longe deterioris notae infinitivum ἀνακαλέσασθαι restituit. Laurentianus et Marcianus exhibent ἀναβαλέσθαι, qua in forma genuina lectio latet. Frequentissime enim Noster ita usus est verbo ἀναλαβεῖν, ut ‚reficere‘ significet. cf. XIII, 176 ἄρτον ἢ ἄλλο τι τῶν δυναμένων ἀθρόως ἀναλαβεῖν διδούς — XIV, pag. 693 ὁ ἀναλαμβάνων (scil. ἑαυτόν). Oribasius loco supra allato ἢ τοῖς ἐκ νόσου ἀναλαμβάνουσιν. Exempla compluria ex Atticorum scriptis petita attulerunt Passow (Lexicon) et Stephanus (Thesaurus) s. v. ἀναλαμβάνω p. 431. Ceterum de verbis ἀναβαλέσθαι et ἀνακαλέσασθαι simili modo inter se confusis vide Observatt. Critt. meas pag. 37.

lin. 13. πολλὰ πολλάκις.] Amat Galenus hanc paronomasiam: X, 144 πολλοὶ πολλάκις. XIII, 333, 582 ἐν πολλοῖς πολλάκις. XIV, 213 ἐπὶ πολλῶν πολλάκις saepius.

lin. 20. (K. 909.) τὸ δ' εὔτονον.] Gal. VI, p. 139: εὔτονον μὲν γυμνάσιον ὀνομάζω τὸ βιαίως ἄνευ τάχους διαπονεῖν, σφοδρὸν δὲ τὸ βιαίως τε καὶ σὺν τάχει.

lin. 22. εἰ — εἴη — διαπονήσει.] Haec ne cui offensioni sint sciat necesse est, Galenum saepissime hac structura usum esse. I, 6 εἰ δὲ — ἐπισκέψαιο — μισήσεις. — VII, 16 εἰ μὲν — εἴη — ἔσται; ibid. p. 17 εἰ δ' εἴη — ἀναφθήσεται; p. 19 εἰ δέ τις διαπονοίη — καὶ διαπνοίη, τρέφοιτο δ' ἐλάττω — ὑπαχθήσεται. Praeterea VIII, 526. XV, 37. 112. 113. 179. XVII, 1, 973.

ibidem: σφοδρότατον] vide supra ad lin. 20. σφοδρὸν δὲ τὸ βιαίως τε καὶ σὺν τάχει; Gal. VI, 145 (τὸ σφοδρὸν) σύνθετόν ἐστιν ἐξ εὐτόνου τε καὶ ταχέος κτέ.

pag. 8, 8. φωναὶ μεγάλαι.] Ad rem vide Gal. XIII, pp. 5 et 6: καὶ μέντοι καὶ ποιοῦσιν οὕτως οἱ φωνασκοῦντες, ὅταν ἀγωνιζόμενοι θραύσωσι τὴν φωνήν. εἰσὶ δ' οὗτοι κιθαρῳδοί τε καὶ κήρυκες, οἵ τε τὴν τραγῳδίαν καὶ κωμῳδίαν ὑποκρινόμενοι. Krause, Gymn. I, p. 634.

lin. 9. (K. 910.) αἴτιαι γεγένηνται.] Sic etiam Gal. XIII, 668. XV, 121.

De sphaeromachiis veterum.

Galenus quemadmodum in libro, qui De sanitate tuenda[1]) inscribitur, corporis exercitia aut εὔτονα esse statuit, aut ταχέα χωρὶς εὐτονίας καὶ βίας aut σφοδρά, sic in eo, quem tractavimus libello, tria fuisse genera lusionis pilaris demonstrat, primum lenissimum ac suavissimum, alterum paullo alacrius ac vehementius, tertium acerrimum ac ferocissimum[2]): quod prioribus duobus multo anteponendum esse censet[3]), quippe quo et corporis partes latera venter lumbi crura manus aequaliter exerceantur, et mens atque oculi acuantur[4]).

Ludus, quem, quod maxime dolendum est, nomine ipso celato parum clare et distincte descripsit[5]), profecto acerrimae pugnae speciem prae se fert, in qua lusores omnibus palaestrae artificiis adhibitis luctantes alteri alteris pilam surripere nituntur.

Cum vero talium ludorum a veteribus et recentioribus scriptoribus tria genera commemorentur, quae propter naturam suam certaminis simillimam suo quodque jure sphaeromachiae et possunt nominari et nominantur[6]), facile quispiam dubitaverit, de quonam omnino genere ludendi Galenus cogitavisse existimandus sit.

Sunt enim huiusmodi ludi, quos a scriptoribus sphaeromachias appellatos invenio, primum ἡ ἐπίσκυρος vel ἐπίκοινος vel ἐφηβική; deinde ἡ φαινίνδα vel potius φενίνδα; denique τὸ ἁρπαστόν.

---

[1]) Galen. edit. Kuehn. Vol. VI, pp. 139, 144, 145. Oribasius ed. Daremberg I, p. 474 sq.

[2]) de parva pila V, p. 908; edit. nostr. p. 7, 11 ὅσα δὲ τούτου (πρᾴου) μὲν ἰσχυρότερα, τοῦ δ' ἄκρως σφοδροῦ πρᾳότερα διὰ τῆς σμικρᾶς σφαίρας ἐνεργεῖται.

[3]) ibid. p. 902; edit. nostr. p. 4, 22 οὕτω δὲ καὶ τὰ μέρη κινεῖν μὲν ἔστιν αὐτοῦ πάνθ' ὁμοῦ et p. 5, 7 οὐ μικρὸν σκελῶν γυμνάσιον, ἀλλ', εἰ χρὴ τἀληθὲς εἰπεῖν, μόνον δικαιότατα κινοῦν πάντ' αὐτῶν τὰ μόρια; et p. 7, 1 καὶ γὰρ ψυχὴν εἰς πάντα δυνατὸν ὠφελεῖν καὶ τοῦ σώματος τὰ μέρη δι' ἴσου πάντα γυμνάζει.

[4]) ibid. p. 5, 17 τοῦτο δὲ καὶ τὴν γνώμην θήγει τῇ φροντίδι κτέ. et paullo supra v. 15 ὄψιν δ' ὅτι καὶ γυμνάζει, μαθεῖν ἔνεστι κτέ.

[5]) p. 902 et 903 edit. nostr. p. 5, 1 sq. ὅταν μὲν γὰρ συνιστάμενοι πρὸς ἀλλήλους καὶ ἀποκωλύοντες ὑφαρπάσαι τὸν μεταξὺ διαπονῶσι, κτέ.

[6]) Pollux Onomast. IX, 107 ἔξεστι δὲ καὶ σφαιρομαχίαν εἰπεῖν τὴν ἐπίσκυρον τῆς σφαίρας παιδιάν. Athenaeus I, Cap. 26 init: Πολὺ δὲ τὸ σύντονον καὶ καματηρὸν τῆς περὶ τὴν σφαιριστικὴν ἁμίλλης τό τε κατὰ τοὺς τραχηλισμοὺς ῥωμαλέον. Forcellini lex. s. v. Harpastum: Ludus huiusmodi etiam sphaeromachia appellatur. — Stat. Silv. praef. ad libr. IV: Sed et sphaeromachias spectemus et pilaris lusio admittitur. — Artemidor. Oneirocrit. I, 57 ἁρπαστὸν δὲ καὶ σφαῖρα φιλονεικίας ἀπεράντους σημαίνουσι.

Quantum de natura ac ratione horum ludorum, qui de re sphaeristica scripserunt, inter se dissentiant, vel inde intellegitur, quod alii primum cum tertio [1]), alii alterum cum tertio [2]), alii primum secundum tertium mirum in modum ita confundunt, ut tria illa nomina ad unum eundemque ludum pertinere existiment [3]).

Quae cum ita sint, non abs re videtur esse, quid nos de singulis judicemus, paucis exponere.

I. Ac primum quidem episcyrum, quem vocant, ludum apud Pollucem [4]) satis clare ac dilucide hisce verbis descriptum habes: „Παίζεται κατὰ πλῆθος διαστάντων ἴσων πρὸς ἴσους. εἶτα μέσην γραμμὴν λατύπῃ ἑλκυσάντων, ἣν σκῦρον καλοῦσιν, ἐφ᾽ ἣν καταθέντες τὴν σφαῖραν, ἑτέρας δύο κατόπιν γραμμὰς ἑκατέρας τῆς τάξεως καταγράψαντες, ὑπὲρ τοὺς ἑτέρους οἱ προανελόμενοι ῥίπτουσιν, οἷς ἔργον ἦν ἐπιδράξασθαί τε τῆς σφαίρας φερομένης καὶ ἀντιβαλεῖν, ἕως ἂν οἱ ἕτεροι τοὺς ἑτέρους ὑπὲρ τὴν κατόπιν γραμμὴν ἀπώσωνται“, quibuscum ea conferenda sunt, quae dicit Eustathius [5]): „Ἐπίσκυρος δ᾽ ᾗ ἐχρῶντο οἱ παίζοντες κατὰ πλήθη, καλουμένη διὰ τοῦτο καὶ ἐπίκοινος. ἡ δ᾽ αὐτὴ καὶ ἐφηβική. ὠνόμαστο δ᾽ ἐπίσκυρος, ἐπειδὴ οἱ κατ᾽ αὐτὴν σφαιρίζοντες ἐπὶ λατύπης ἑστῶτες, ἣν σκῦρόν φαμεν — βολῇ σφαίρας ἀλλήλους ἐξεδίωκον.“

Ratio ludendi igitur haec est: Ephebi in bina castra discedebant ita, ut numerus ludentium in utraque parte par esset; aream limite vel linea sparsis lapidibus significata in duas inter se aequales partes dissecabant, quae quam maximo spatio [6]) relicto post terga utriusque factionis firmis terminis sepiebantur. Ineunte igitur ludo alteri nescio an sorte designati in medio limite se collocant, dum alteri fines post se constitutos defensuri in ipsis finibus subsistunt. Deinde is, qui locum pilae in tramite depositae proximum tenet, eam tollit, sublatamque supra hostes mittere studet. Hoc temporis momento ei qui ab altera parte stant, advolanti pilae occurrunt; cuicunque eam captare contingit, is quo ceperat loco consistens, pilam repellit. Eodem loco consistit etiam tota sociorum phalanx. Ceterum in hoc ludo cardo omnino non in eo versabatur, ut pila ab adversariis exciperetur; immo vero, id quod ex Pollucis verbis apparet, qui non nisi verbo ἀντιβαλεῖν usus est, quibus quisque volebat artificiis utentes pilam reiciebant; nihil enim referebat, utrum manibus an pedibus eam repellerent [7]). Neque illud indignum memoratu videtur, hunc lusum nequicquam desiisse, si quando pila in pulvere haesisset [8]); sed, si tale quid accidisset, eam pedibus quoque supra mediam

---

[1]) Marquardt, Röm. Privataltertth. V, 2, p. 425. L. Becq de Fouquières, Les jeux des Anciens, p. 186. Göll, Culturbilder aus Hellas u. Rom I, p. 69.

[2]) Athen. I, 25 extr. Τὸ δὲ καλούμενον διὰ τῆς σφαίρας ἁρπαστὸν φαινίνδα ἐκαλεῖτο, ὃ ἐγὼ πάντων μάλιστα ἀσπάζομαι.

[3]) Mercurialis de arte gymn. II, cap. IV, p. 120 sq. Burette in Les Mémoires de l'Académie française tom. I, p. 166. Sabbathier, qui Burettium ad verbum exscripsit, Les exercices du corps chez les Anciens tom. I, p. 112: L'harpaston] „recevait plusieurs noms; on l'appelait Episcyros phaeninda phennida pheninda et ephetinda“.

[4]) Onomast. IX, 104.

[5]) Comm. ad Od. ϑ 376, p. 1601, 30.

[6]) Cf. Gal. de p. p. pag. 908 extr. edit. nostr. 7, 16. τὸ μὲν γὰρ ἐκ διαστήματος ἱκανοῦ βαλεῖν εὐτόνως.

[7]) L. Becq p. 186.

[8]) ibid. p. 188 extr.

lineam transmissam esse. Quo facto etiam altera pars reiectae pilae obviam prodit et quoquisque loco pilam seu per aerem volantem sive in terra currentem excepit, in eo una cum sociis subsistit captamque adversariis reddit.

Sic ludus magis magisque procedit neque prius ad finem perducitur, quam alteri alteros trans fines in tergis positos exegerunt; deinde ludentes loca sua permutant victoresque novum lusum inituri ad tramitem accedunt.

Habes ludum jucundissimum ac per se simplicissimum. Satis alacer est et maxime idoneus, quo et corpora ludentium gravioribus motibus excolantur et animi aemulationis studio excitentur atque acuantur. Suo igitur jure Pollux confirmat [1]) huiuscemodi ludum, qui certaminis erat non dissimilis, sphaeromachiam nuncupari posse. Fortasse tamen etiam Eustathius de hoc ludo cogitavit, cum pag. 1601 diceret „καὶ ἐπεχωρίαζε Λακεδαιμονίοις ἀγὼν τὰ σφαιρομάχια.“ Exercebantur in hoc ludo, quippe qui majores corporis vires magnamque oculorum aciem atque exercitationem postularet, adulescentes potissimum aetate paullo provectiores; quam ob rem Pollux et Eustathius hanc ludi speciem appellant ἐφηβικήν, id est ludum ephebōrum.

II. Cum episcyro homines docti alterum confuderunt ludum, qui φαινίνδα vel, id quod mihi videtur, verius φενίνδα [2]) vocatur. Quidquid de interpretanda vel derivanda hac satis obscura voce disputaverunt, ad unum omnes consentiunt, hoc ludo id solum agi, ut adversarius fallatur ac decipiatur. Quod praeter alios loco Etymologici Magni comprobatur, ubi s. v. φεννίς leguntur haec: „ἔστι καὶ φενίνδα ἀπὸ τοῦ φενακίνδα κατὰ συγκοπήν. ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων ἢ ἀπὸ τοῦ φενακίζειν ἐν τῷ ῥίπτειν ἐκεῖσε, ἀλλ᾽ ἑτέρωσε ἢ ἀπὸ Φενεστίου τοῦ ἐφευρόντος αὐτήν“, quibuscum ea optime conspirant, quae Pollux [3]) et Eustathius [4]) et interpres Clementis Alexandrini [5]) de hoc ludo scripserunt.

---

[1]) cf. Onomast. IX, 107 ἔξεστι δὲ καὶ σφαιρομαχίαν εἰπεῖν τὴν ἐπίσκυρον.

[2]) φενίνδα veram lectionem esse persuasum habeo, primum quod in Etymol. M. s. v. φεννίς scripta sunt: φενίνδα φενακίνδα Φενέστιος; tum quod apud Clementem Alexandrinum Paedag. III, 10, 50 genuina scriptura φενίνδα est, quam Klotzius nuperrime primus in φαινίνδα mutavit. Extat vero in Cod. Paris. 451, quem anno 914 scriptum esse constat, scholion quoddam vetustissimum ad hunc locum, quod ap. Klotzium legitur vol. IV, p. 135 φενίνδα παιδιάν· παιδιὰ ἡ φενίνδα τοιαύτη· σφαῖραν κρατῶν τις τῶν παιζόντων παίδων εἶτα ἑτέρῳ προδεικνὺς ταύτην, ἑτέρῳ αὐτὴν ἐπέπεμπεν. ὠνόμασται δὲ ἢ ἀπὸ Φαινίνδου τοῦ πρώτου εἰπόντος (h. d. legendum εὑρόντος) ἢ ἀπὸ τοῦ φενακίζειν, ὅ ἐστιν ἀπατᾶν· καὶ γὰρ ἠπάτα ὁ ἑτέρῳ μὲν δείξας ἑτέρῳ δὲ ἐπιδούς. — Denique vide Meineke (Hermes III, p. 455) ad Mélanges de la littérature grecque par M. E. Miller; ubi verba haec sunt: Ad Etymol. Florent. p. 299: Φενίνδα· παιδιὰ διὰ σφαίρας γενομένη οἷον· οὐ φενίνδα σφαιριῶν, unde fragmentum versus alicuius Antiphanei haec verba esse suspicans vir doctissimus concludit, φενίνδα veram esse scripturam. — Ceterum ea conferenda sunt, quae Grasberger Die leibliche Erziehung I, p. 90 sq. de hac re attulit.

[3]) Onomast. IX, 105 ἡ δὲ φαινίνδα εἴρηται ἢ ἀπὸ Φαινίνδου τοῦ πρώτου εὑρόντος ἢ ἀπὸ τοῦ φενακίζειν, ὅτι ἑτέρῳ προδείξαντες ἑτέρῳ ῥίπτουσιν, ἐξαπατῶντες τὸν οἰόμενον· εἰκάζοιτο δ᾽ ἂν εἶναι ἡ διὰ τοῦ μικροῦ σφαιρίου, ὃ ἐκ τοῦ ἁρπάζειν ὠνόμασται. Ceterum haec conjectura Pollucis a Clemente Alex. probatur, qui Paed. III, 10, 50 dicit: ἀνδρῶν δὲ οἱ μὲν γυμνοὶ καὶ πάλης μετεχέτωσαν, οἱ δὲ καὶ σφαίρῃ τῇ μικρᾷ παιζόντων τὴν φενίνδα παιδιὰν ἐν ἡλίῳ μάλιστα. cf. Guhl u. Koner, pag. 275 med. (Edit. tertia a. 1872.)

[4]) Eust. p. 1601, 32 φαινίνδα δέ, ὅταν ἑτέρῳ φασὶ τὴν σφαῖραν προδεικνύντες ἑτέρῳ αὐτὴν ἐπιπέμπωσι.

[5]) vide supra adn. nostr. 2). Ceterum ad hunc ludum etiam versus Saleii Bassi (Carm. ad Pison.

Eorum vero, qui nostra aetate de pheninda ludo sententiam dixerunt, omnium maxime meritus est vir doctissimus Francogallus L. Becq de Fouquières, quippe cum primus, quantopere ludi alter ab altero differant, disertis verbis demonstraverit. Suo igitur jure, puto, interrogat [1]) „Cur tandem alter alterum decipiebat?“ Nimirum, inquit, nullam ob aliam causam, nisi quia sperabat, hoc modo futurum esse, ut adversarius pilam sibi datam neque excipere neque remittere posset.

Hinc vero duo efficiuntur. Primum: in hoc ludo plurimum interfuit, ut e x c i p e r e t u r pila; alterum: pila non primo cuique sed c e r t o [2]) c u i d a m lusori dabatur, id quod fragmento Antiphanis confirmatur, in quo poeta ludum, de quo quaerimus, in hunc modum illustrat:

σφαῖραν λαβὼν
τῷ μὲν διδοὺς ἔχαιρε, τὸν δ' ἔφευγ' ἅμα
τὸν δ' ἐξέκρουσε, τὸν δ' ἀνέστησεν πάλιν.
κλαγκταῖσι φωναῖς . . . .
ἔξω, μακράν, παρ' αὐτόν, ὑπὲρ αὐτόν. κάτω,
ἄνω, βραχεῖαν ἀπόδος, ἐγκατάστρεφε [3]).

quem locum, cum ab aliis aliter versus atque explicatus sit, equidem ita interpretandum esse crediderim: „Pilam tollens alii eam dare gaudebat, alium simul effugiebat; alium (tertium) decipiebat [4]); alium (quartum) rursus incitabat [5]) claris vocibus“ e. q. s.

Cur tandem, jam nos quoque quaerimus, lusor pilam alteri praebet, alterum fugit? Nempe quia haud ignorat, istum pilae excipiendae esse peritissimum, alterum artis eius expertem. Ideoque, credo, tertium ludificans quartum adhortatur, ut animum attendat, quemnam in locum pila abiecta volatura sit.

Haec fere sunt, quae ab hominibus doctis ad illustrandum φενίνδα ludum hucusque proferuntur. Attamen, ni fallor, ea quoque eodem pertinent, quae Sidonius Apollinaris Ep. V, 17 de lusu quodam pilari narrat [6]): „Qui (Filimatius vir illustris) cum“, inquit, „frequenter de loco stantum m e d i c u r r e n t i s impulsu summoveretur, nunc quoque acceptus in aream pilae tam coram praetervolantis quam superiectae nec intercideret tramitem nec caveret, ad

---

172) quos Becker Gallus III, pag. 131 et Marquardt, Privatalterth. II, pag 423 adn. 3691 laudant, pertinere videntur:

„Nec tibi mobilitas minor est, si forte volantem
Aut geminare pilam iuvat aut revocare cadentem,
Et n o n s p e r a t o fugientem reddere g e s t u.“

[1]) Les jeux des Anciens, p. 189 extr.

[2]) cf. Pollux IX, 105: τὸν οἰόμενον. Praeterea Plut. Alex. c. 39: ως οὖν εἰς τὸ σφαιρίζειν παραγενόμενος Σεραπίων, ἄ λ λ ο ι ς ἔβαλλε τὴν σφαῖραν, εἰπόντος δὲ τοῦ βασιλέως· „'Εμοὶ δ' οὐ δίδως“; ,οὐ γὰρ αἰτεῖς' εἶπεν.

[3]) ἐγκατάστρεφε nos dedimus e conjectura. Vulgata est ἐγκαταστρέφει, pro qua Meineke vult ἐγκαταστρέφου Fragm. Com. Gr. III, 136.

[4]) Eandem notionem verbi ἐκκρούειν habes apud Plut. Rom. Cap. XXIII: ὁ μὲν 'Ρωμύλος εὐθὺς δεῖν ᾤετο κολάζεσθαι τοὺς ἀδικήσαντας, ὁ δὲ Τάτιος ἐ ξ έ κ ρ ο υ σ ε καὶ παρῆγε.

[5]) De hac verbi ἀνίστημι sententia cf. Hom. Jl. K. 176:

ἀλλ' ἴθι νῦν, Αἴαντα ταχὺν καὶ Φυλέος υἱὸν Ἄ ν σ τ η σ ο ν.

et O, 64 ὁ δ' ἀνστήσει ὃν ἑταῖρον Πάτροκλον.

[6]) apud Marquardt, Privatalt. II, p. 425.

hoc per catastropham saepe pronatus aegre de ruinoso flexu se recolligeret, primus ludi ab accentu sēse removit."

Etenim si memineris loci supra ex Etymologico exscripti, ubi sermo erat de voce ,ἄφεσις' cum eisque ea contuleris, quae Athenaeus [1]) eumque secutus Eustathius [2]) dicunt, φενίνδα lusum ἄφεσιν et φυγὴν habuisse, mecum te facturum esse spero, totum ludum in hunc fere modum explanante: Ludentes duas factiones efficiunt, tramite, quem σκῦρον vocant, disiunctas. Unus alterius utrius partis sodalis, vel sorte vel acclamatione creatus, quem cum Sidonio medicurrentem appellamus, ad limitem usque procurrit pilamque de medio sublatam adversariorum cuidam nescio an nomine vocato offert, alii tamen cuidam mittit, cuius est pilam in aere volantem, priusquam ad humum delabatur, excipere. Tale quid vero ne accideret, ceteri quoque omnes pilam captaturi ei occurrebant: Quorum qui globulum excepit, medicurrentis munere fungens ad scyrum procurrebat cursitansque eum adversariis remittebat eisdem nimirum et ipse artificiis ac ludificationibus utens, quas supra memoravimus. Pila tamen abiecta quam celerrime medio in scyro tergum vertit — nam ita Sidonii catastropha intellegenda est — in prioremque suum locum refugit, ne forte pilam sibi redditam effugiat — nam ita Eustathii verba interpretanda esse censeo, quae sunt: „ἡ φαινίνδα ἄφεσιν εἶχε καὶ φυγήν." — In hunc igitur modum certamen pergit, tum demum exiturum, quando pila a nullo aut excepta aut remissa in pulvere haereat et exstinguatur. Quorum in castris pila moritur, hi victi sunt; superiores evadunt alteri, et primam victoriam puncto primo posito denotant. Loca permutantur novusque ludus incipitur. Compluribus huiusmodi ludis absolutis ea ludentium pars victoriam summam reportat, quae certum quendam numerum punctorum prior adepta est.

Vides, quam utriusque ludi ratio atque ars diversa sit. In episcyro suo quisque loco stantes pilam emittebant, in pheninda in medium procurrentes. Illic de finibus quasi pugna expugnandis [3]) agebatur, hic summa rei in eo vertitur, ut pilam mori ne sinant. Denique in illo ei inferiores erant, qui supra fines extremos repulsi erant, in hoc vero ei, quorum in castris pila mortua erat. Sed de his hactenus.

III. Tertium genus pila ludendi harpastum vocatur. Quod cum a Martiale [4]) Athenaeo [5]) Clemente Alexandrino [6]) quam maximis laudibus efferatur, imprimis Romanis in deliciis fuisse videtur. Attamen si Luciano [7]) atque interpreti Platonis [8]) fides habenda est, etiam

---

1) Athen. I, 25: ἐκαλεῖτο δὲ φαινίνδα ἀπὸ τῆς ἀφέσεως τῶν σφαιριζόντων.

2) p. 1601, 51: ὅτι τὸ καλούμενον διὰ τῆς σφαίρας ἁρπαστὸν καὶ ὡς ἡ εἰρημένη φαινίνδα ἄφεσιν εἶχε καὶ φυγὴν ὁ Ἀθήναιος λέγει.

3) Quapropter Gal. ludentes comparat cum ducibus exercituum de p. p. pag. 905, edit. nostr. 6, 4: ἐπιθέσθαι γὰρ ἐν καιρῷ καὶ λαβεῖν ἐπιθέμενον καὶ σφετερίσασθαι τὰ τῶν ἐναντίων — καὶ φυλάξαι τὰ κτηθέντα τῶν ἀγαθῶν στρατηγῶν ἔργα. κτέ.

4) Epigr. IV, 19, 7. VII, 32, 10. XIV, 48.

5) vide pag. 14, adn. 2). — 6) cf. pag. 15, adn. 3).

7) Anacharsis cap. 38, p. 918: μέμνησο, ἤν ποτε καὶ εἰς Λακεδαίμονα ἔλθῃς, μὴ καταγελάσαι μηδὲ ἐκείνων μηδὲ οἴεσθαι, μάτην πονεῖν αὐτούς, ὁπόταν ἢ σφαίρας πέρι ἐν τῷ θεάτρῳ συμπεσόντες παίωσιν ἀλλήλους κτέ.

8) Schol. ad legg. I, 633 C (Krause, Gymn. p. 308 [1]): ἐνίοτε δὲ καὶ σφαῖραν ἢ ἄλλο τι ἐρρίπτουν, ὥστε τὸν πρῶτον ἁρπάσαντα νικᾶν. καὶ πολὺς αὐτοῖς (scil. τοῖς Λακεδαιμονίοις) οὗτος ὁ ἀγών.

apud Lacedaemonios veteres in usu erat. — Quantum igitur ad naturam huius ludi attinet, ad unum omnes consentiunt, eum, ut jam ex ipso nomine, quod de verbo ἁρπάζειν derivatur, apparet, omnium ferocissimum atque acerrimum fuisse [1]). Sed de ratione atque via, qua a veteribus institutus sit, nemo est, qui satis exposuerit. Unus Galenus, quod sciam, rem accuratius attigit, cum in libro supra tractato de utilitate pilae exercitiorum in universum disseruit. Quantum enim ex eius loco [2]) celeberrimo et ab omnibus, qui de hac re scripserunt, laudato intellegitur, etiam in harpasto, sicut in pheninda, a lusoribus duae factiones efficiebantur, quae ineunte quidem ludo scyro, quem vocavimus, altera ab altera secernebantur. Tum demum congrediebantur manusque conserebant.

Atqui cum Eustathius loco supra allato dixerit, non solum pheninda sed etiam harpastum ἄφεσιν καὶ φυγὴν habuisse, suspicari licebit, etiam in hoc ludo unum quendam de loco stantium in medium prodiisse pilamque de scyro sublatam in aerem emisisse. Hac tamen in re eisdem ludificationibus eum usum esse, quibus in pheninda medicurrens utebatur, colligi potest ex alio Galeni loco [3]), ubi leguntur: εἰ μή τις ἀκριβῶς τὴν ῥοπὴν τῆς σφαίρας εἰς ὅτι φέροιτο, προαισθάνοιτο, διαμαρτάνειν τῆς λαβῆς ἀναγκαῖόν ἐστιν αὐτόν. Haec igitur uterque ludus communia habet; differt vero alter ab altero eo potissimum, quod in pheninda pila adversario cuidam proicitur, in harpasto non nisi in sublime aut in obliquum emittitur idque ita, ut quam proxime ad scyrum decidat. Sic facile fieri poterat, ut is qui pilam modo emiserat, idem eam decidentem exciperet. Ne tamen tale quid fieret, utriusque partis sodales in eum sese praecipitabant [4]), ne ipse pilam surriperet, impedituri. Sic quidem Galenus interpretandus videtur cum dicit πρὸς ἀλλήλους συνιστάμενοι καὶ ἀποκωλύοντες ὑφαρπάσαι τὸν μεταξύ. Atque hunc, quem τὸν μεταξὺ appellat Galenus, eundem esse, quem supra nos medicurrentem nominavimus, quis est, quin videat? In eum igitur ceteri omnes irruunt. Nam cum in hoc ludo ei palma tribueretur [5]), qui primus omnium pilam rapuerat sive ex aere devolantem sive in pulvere [6]) versantem, pro se quisque omnes victoriae participes fieri cupiebant. Ita de capienda pila vehementissimum certamen exardescit, in quo alter alterum luctando trudendo pulsando superare et de loco demovere laborat. Cum tamen in hoc quoque omnium concursu id potissimum ageretur, ut pila ne deiceretur [7]) sed exciperetur, facile perspicitur, quomodo fieri

---

[1]) cf. Gal. de p. p. K. pag. 909, edit. nostr. 7, 21: εἰ δ' εὔτονον θ' ἅμα καὶ ἠπειγμένον εἴη — πάντων ἔσται γυμνασίων σφοδρότατον.

[2]) de p. p. K. pag. 902, edit. nostr. 5, 1: ὅταν μὲν γὰρ συνιστάμενοι πρὸς ἀλλήλους καὶ ἀποκωλύοντες ὑφαρπάσαι τὸν μεταξὺ διαπονῶσι κτέ.

[3]) de p. p. K. pag. 904 med., edit. nostr. 5, 15.

[4]) cf. L. Becq p. 186: „les deux camps — se précipitaient sur la balle déposée à terre au centre du jeu" quibus repugnant verba Pollucis (I, 104) ἐπιδράξασθαί τε τῆς σφαίρας φερομένης καὶ ἀντιβαλεῖν.

[5]) vide pag. 17, adn. 8).

[6]) Martial. Epigr. XIV, 48: Haec rapit Antaei velox de pulvere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.
et IV, 19, 7 et VII, 32, 10.

[7]) cf. Gal. de p. p. K. pag. 904 med., edit. nostr. 5, 17: τοῦτο δὲ καὶ τὴν γνώμην θήγει τῇ φροντίδι τοῦ τε μὴ καταβαλεῖν καὶ τοῦ διακωλῦσαι; et paullo infra, εἰ μή τις ἀκριβῶς τὴν ῥοπὴν προαισθάνοιτο, διαμαρτάνειν τῆς λαβῆς ἀναγκαῖόν ἐστιν αὐτόν. — Guhl u. Koner p. 652.

potuerit, ut lusores oculos huc illuc convertentes propter frequentissimas colli conversiones [1]) summis doloribus afficerentur; cuius rei exemplum splendidissimum versus ille Antiphaneus praebet, quo poeta lusorem quendam exclamantem facit:

„Οἴμοι, κακοδαίμων, τὸν τράχηλον ὡς ἔχω."

Quid igitur mirum, quod Digestarum libro IX, 2, 52, 4 narratur, servulum quendam, qui tale spectatulum conspecturus ad ludentes propius accesserat, a lusore quodam ita esse impulsum, ut caderet et crus frangeret? At tale quid rarissime factum est ac non nisi casu adverso. Nam id ipsum Galenus inter commoda huius aliorumque pilae exercitiorum enumerat [2]), ea a periculis prorsus aliena esse. Praeterea in omnibus huius modi ludis magistrum ludi praesto fuisse [3]) constat, qui nimiae ferocitati ac vehementiae ludentium moderaretur.

Vides, quam simile sit harpastum pheninda ludo. Ac profecto tam arte inter se cohaerent, ut facile alter cum altero coniungantur. Etenim si quando in pheninda medicurrens decepto adversario pilam sursum emittebat, ut proxime ad scyrum devolaret, nonne fieri debebat, ut utriusque partis sodales in medium procurrentes pila potiri studerent? Hac tamen re pariter atque in harpasto vehementem de pila ortam esse pugnam, quis est qui neget? Neque enim alio modo Sidonii verba explicanda sunt: Filimatius primus ab accentu ludi sese removit. Dicit enim Sidonius sine dubio de ludi ardore magis magisque crescente [4]).

Quae cum ita sint, non mirum videbitur, quod Athenaeus [5]) commemorat, harpastum ludum prius vocatum esse φενίνδα. Immo veri simillimum est, illius aetate revera ambos ludos in unum conglutinatos fuisse. Nam qui alio modo fieri potuit, ut Pollux [6]) eumque secutus Eustathius [7]) in enumerandis ludorum pilae generibus harpastum prorsus silentio praeterirent, solumque pheninda laudarent, quamquam utrumque ambos ludos non ignorasse constat [8])? Tum vero id quoque memoratu dignum videtur, quod Artemidorus in Oneirocriticis [9]) hunc ludum ἁρπαστόν appellat, Clemens Alexandrinus [10]) tamen, qui eisdem fere temporibus vixit, φενίνδα. Denique etiam ex loco Antylli [11]) medici luce clarius apparet, utrumque ludum eidem generi ludendi adnumerandum esse, quod Romani raptim ludere dicunt.

---

[1]) cf. etiam Athen. I, cap. 26; et adn. n. pag. 13 [6] et Mart. XIV, 48 [2].

[2]) de p. p. K. pag. 909 extr. edit. nostr. 8, 5: βούλομαι μηδ' ὅτι ἐκτός ἐστι κινδύνων παραλιπεῖν et infra lin. 17: ὡς μηδὲ κινδύνῳ πελάζειν.

[3]) Gal. de p. p. K. pag. 909 med. edit. nostr. 8, 3: τούτου μὲν δὴ τῷ παιδοτρίβῃ μετέστω τῷ μέλλοντι τῶν γυμνασίων ἀφηγεῖσθαι.

[4]) de p. p. K. pag. 909, edit. nostr. 7, 21; et adn. n. pag. 18 [1].

[5]) vide I, 25; adn. nostr. pag. 14 [2].

[6]) Onomast. IX, 103: ἦν δὲ τῆς ἐν σφαίρᾳ παιδιᾶς ὀνόματα· ἐπίσκυρος φαινίνδα ἀπόρραξις οὐρανία.

[7]) Comm. ad Od. pag. 1601, 31: ἡ μέν τις ἐλέγετο οὐρανία. ἡ δὲ ἀπόρραξις. ἡ δὲ ἐπίσκυρος. ἡ δὲ φαινίνδα.

[8]) vide adn. n. 15 [2]: εἰκάζοιτο δ' ἂν εἶναι ἡ διὰ τοῦ μικροῦ σφαιρίου, ὃ ἐκ τοῦ ἁρπάζειν ὠνόμασται et adn. 27): τὸ καλούμενον — ἁρπαστὸν καὶ ὡς ἡ εἰρημένη φαινίνδα.

[9]) vide adn. n. pag. 13 [6].

[10]) vide adn. n. pag. 15 [3].

[11]) apud Oribasium ed. Daremberg I, pag. 529 sq.

Postquam enim demonstravit, tria genera parvae pilae fuisse, quorum sua quodque exercitia haberet, accuratius de tertio genere disputat. Haec enim parvae pilae species omnium erat maxima, qua lusores non singuli vel bini sed multi contra multos pugnantes utebantur. Ludebant vero, ait, ἐξ ἀποστήματος διεστῶτες, tumque hisce verbis pergit: „τούτου δὲ τὸ μὲν στάδιόν (στατικόν, στάσιμόν) ἐστι, τὸ δὲ δρομικόν· οἱ μὲν ἑστῶτες ἀφιᾶσι τὴν σφαῖραν μετὰ σφοδρότητος καὶ συνεχείας καὶ ὀνίνανται βραχίονάς τε καὶ ὄμματα. — Τὸ δὲ δρομικὸν βραχίονας μὲν καὶ ὄψιν ὁμοίως ὀνίνησι τῷ προειρημένῳ, ὠφελεῖ δὲ καὶ σκέλη διὰ τὸν δρόμον."

Hunc locum homines docti ita intellegunt, ut enuntiata, quae sunt στάδιον et δρομικόν ad singulas factiones unius eiusdemque ludi referant, quarum alteram loco suo stare alteram currere. Sic Mercurialis [1]) de parte statoria ac motoria dicit; sed, ut videtur, parum recte. Nam sine dubio, id quod etiam interpres huius loci francogallus recte vidit, hoc loco non de singulis partibus sermo est, sed de duobus inter se diversissimis generibus ludendi, quorum in altero lusores pilam suo quisque loco stantes emittebant, in altero in medium currentes. Itaque nullus dubito, quin Antyllus, cum de ludo statario diceret, de episcyro cogitaverit, qui cum pugna stataria recte comparari potest, quia ludentes in eo firmis post se descriptis terminis arcebantur.

Tum vero etiam necesse est, Antyllum ceteros duos ludos, quippe in quibus pila a currentibus emitteretur, ambos ad alterum genus, quod δρομικόν appellat, rettulisse. Nam in his ludis lusores huc illuc digrediebantur ac discurrebant, neque ullis carceribus tenebantur. Ceterum cum Antyllo optime consentit Galenus [2]), qui commoda pilae parvae laudaturus tria omnino genera ludendi statuit: primum μαλακόν vel πρᾷον, alterum σφοδρόν, tertium quod dicit vehementius esse priore, lenius ac suavius acerrimo. Ac quod ad primum attinet, eius exercitium in hunc modum illustrat [3]): „οὐδὲν γὰρ οὕτω πρᾷον, εἰ πράως αὐτὸ μεταχειρίζοιο. δεῖ δὲ μέσως μὲν ἔχοντα μηδὲ συμμέτρου ἀποστάντα τὰ μὲν ἠρέμα προβαίνειν, τὰ δὲ κατὰ χώραν μένειν, μὴ πολλὰ διαγυμνασάμενον", quibus paullo inferius addit, hoc exercitium utilissimum esse et senibus et pueris.

Quadrant in hoc genus, quae Antyllus de minoribus pilis earumque exercitiis disputavit. Sunt autem, si exempla postulas, huiusmodi ludi οὐρανία et ἀπόρραξις, quos apud Pollucem descriptos [4]) habes, eique omnes, quos Latini uno nomine comprehendunt, quod est dadatim ludere. Alterum genus, quod σφοδρόν Galenus, Latini raptim ludere appellant harpastum et pheninda complecti, satis demonstratum est. Quid? quod tertium genus, quod Latini dicunt expulsim ludere [5]) ad episcyrum referimus, quem medium inter ceteros locum obtinere vidimus, quemque Galenus hisce verbis illustrat (p. 7, 16): „τὸ μὲν γὰρ ἐκ διαστήματος ἱκανοῦ βαλεῖν εὐτόνως, ἢ οὐδὲν τοῖς σκέλεσιν ἢ παντάπασιν ὀλίγον χρώμενον, ἀναπαύει

[1]) de re gymn. p. 120: „et in qua (specie ludendi) cum stataria ac motoria pars esset."
[2]) de p. p. K. pag. 902 et p. 908, edit. nostr. 4, 18 et 7, 11.
[3]) ibid. p. 907 extr., edit. nost. 5, 7.
[4]) Onom. IX, 104. Grasberger I, p. 89.
[5]) Conferendus tamen Marquardt Privatalt. II, p. 423 adn. 3691, et Guhl u. Koner, p. 651.

μὲν τὰ κάτω, τὰ δ' ἄνω κινεῖ σφοδρότερον?" Quid enim aliud est βαλεῖν εὐτόνως atque expulsim ludere?

Sed, ut ad finem oratio nostra perveniat, unum addere liceat. Quemadmodum enim Galenus primum genus ludendi, quia corporis partes aptissime extendat viresque exerceat, senibus ac pueris commendat, sic Clemens Alexandrinus [1]) tertium genus, quippe in quo validissimis corporibus opus sit, viros excolere jubet. Quid mirum igitur quod Eustathius ac Pollux episcyrum ludum epheborum (ἐφηβική) nominant? Est enim aetas epheborum media inter pueros ac viros, id quod et per se constat et certis argumentis Platonis [2]) aliorumque comprobatur, qui tres has gymnastarum aetates accurate distinxerunt: puerorum (παίδων) epheborum (ἀγενείων) virorum (ἀνδρῶν vel νέων).

[1]) vide adn. n. pag. 15 [3].

[2]) Plato Legg. VIII, 833 C. D. Pausan. VI, 6, 1 et 14, 1. — Dionys. Hal. A. R. VII, 72 (pag. 1487). — De re videas, quaeso, Krause Gymn. I, p. 263 sq. — C. Curtius in Herm. VII, p. 43 et p. 134. — K. Fr. Hermann Staatsalterth., p. 461 adn. 4. Corp. Inscr. Gr. I, nr. 2214.

Rostochii. Typis Adlerianis.

Schulnachrichten von Ostern 1878 bis dahin 1879.

I. Das Lehrerpersonal.

Es bestand wie im vorigen Schuljahre aus den Herren Oberlehrern Vermehren, Dr. Foerster, Dr. Fritzsche und Dr. Maschmeier, und den Herren Dr. Kretschmann, Dr. Kühne, Dr. Marquardt, C. Raspe, Hempfing und dem Berichterstatter. Hülfslehrer: Herr Hill (Schreiben), Herr Pann (Rechnen), Herr Johannes Schondorf (Singen.)

II. Die Schüler.

Es besuchten die Anstalt

zu Anfang des Sommerhalbjahrs:						zu Anfang des Winterhalbjahrs:					
Primaner	27:	Güstrower	10,	Auswärtige	17.	Primaner	29:	Güstrower	4,	Auswärtige	25.
Secundaner	38:	„	10,	„	28.	Secundaner	25:	„	7,	„	18.
Obertertianer	27:	„	14,	„	13.	Obertertianer	24:	„	14,	„	10.
Untertertianer	29:	„	9,	„	20.	Untertertianer	29:	„	9,	„	20.
Quartaner	23:	„	12,	„	11.	Quartaner	25:	„	12,	„	13.
Quintaner	22:	„	13,	„	9.	Quintaner	22:	„	13,	„	9.
Sextaner	15:	„	7,	„	8.	Sextaner	15:	„	7,	„	8.
im ganzen	181:	Güstrower	75,	Auswärtige	106.	im ganzen	169:	Güstrower	66,	Auswärtige	103.

Aufgenommen wurden im Laufe des Schuljahres 22 Schüler, darunter sechs Güstrower (zwei mehr als im vorigen Jahre).

Das Zeugniss der Reife für die Universitätsstudien haben erworben

zu Michaelis 1878:

Heinrich Gottfried Carl Wilhelm Maltzahn, aus Güstrow (Postfach).
Otto Friedr. Emil Neckel, aus Güstrow (Philologie).
Franz Johannes Julius Theodor Hillmann, aus Harkensee (Jura).
Otto Ernst Ludwig Creutzfeldt, aus Neumühl (Medicin).
Fritz Theodor Helmuth August Polstorff, aus Güstrow (Theol).
Christian Wilhelm Friedrich Wendlandt, aus Madras (Theol.)

zu Ostern 1879:

Dietrich Alexander Pistorius, aus Basedow (Theol.).
Friedrich Ludwig Gottlieb Schütz, aus Wustrow (Jura).
Paul Friedrich Heinrich Viereck, aus Güstrow (Jura).
Albrecht Detlof August Carl Johann Dau, aus Güstrow (Theol.), und der Extraneer Johannes Carl Wilhelm Theodor Christian Karnatz, aus Mecklenburg bei Wismar (Mathematik und Naturwissenschaft).

Ausserdem sind von Ostern 1878 incl. bis Ostern 1879 excl. abgegangen 27 Schüler:

aus Prima 7, einer um auf das Rostocker, einer um auf das Neubrandenburger Gymnasium zu gehen, einer um Militair, einer um Thierarzt, einer um Kaufmann, einer um Apotheker zu werden, einer wegen andauernder Kränklichkeit;

aus Secunda 3, einer um Apotheker, einer um Kaufmann zu werden; einer folgte seinen Eltern nach Rostock;

aus Obertertia 2, einer um auf das Gymnasium zu Demmin zu gehen, einer auf Veranlassung der Conferenz;

aus Untertertia	6, einer um auf die Ritterakademie zu Brandenburg, einer um auf das Gymnasium zu Prenzlau, einer um auf das Gymnasium zu Detmold, einer um auf das Gymnasium zu Wismar, einer um auf die hiesige Realschule zu gehen; einer ist ohne weiteres aus der Schule weggeblieben;
aus Quarta	6, fünf um auf die hiesige Realschule zu gehen, einer um ein Handwerk zu erlernen;
aus Quinta	2, einer um auf das Rostocker Gymnasium, einer um auf eine Cadettenschule zu gehen;
aus Sexta	1, um auf die hiesige Realschule zu gehen.

Auch diesmal haben wir den Tod eines guten Schülers zu beklagen, des Primaners Ernst Martins; er starb nach langer Krankheit am 18. Oktober.

III. Schulfeierlichkeiten.

